

CCLXXV.

R. 59 Codex partim membraneus, partim chartaceus, Sec. XV. Folior. 129. f. per duas columnas exaratus, minioque distinctus D. Caec. Cypriani Scripta complectitur, et quidem usque ad fol. 20. *Epistolas* XIII. deinceps Opuscula: *Ad Donatum de Gratia Dei. Ad Demetrianum. De Opere et Eleemosynis. Ad Fortunatum de Exhortatione Martyrum. De Zelo et Livore. De Bono Patientiae. De Mortalitate. De Habitu Virginum.* Fol. 54. redeunt *Epistolae* numero IV. Rursus Opuscula: *De Unitate Ecclesiae. De Lapsis. De Oratione dominica.* Fol. 77. p. 2. iterum *Epistolae* XXXII. tum Opusculum: *Quod Idola Dei non sint*, duoque spuria: *De Singularitate Clericorum*, etiam sub *Augustini* nomine jam a. 1467. ab *Olrico Zell* 4. typis editum, et *De duobus Montibus.* Tandem fol. 118. *Epistolae* II. quarum posterior abrupta, ut adeo Codex hic olim plura *Cypriani* Scripta fortasse continuerit. Interim ex *Epistolis* LXXXIII. ei insunt LI. et ex *Opusculis* XV. genuinis XII. Textus collatus cum Edit. *Job. Felli Amstelod. 1700. f.* non parum lima critica eget.

CCLXXVI.

U. 92 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 58. 4. nitide perscriptus, fronte picturata, et titulis purpureis decorus, primum, ut vix dubium, *Corvinianus*, dein à *Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Job. Fabro clarò illo *Vienn.* Praefule a. 1540. suo ad D. *Nicolaum* Adolescentum studiosorum Collegio legatus, praemissa *Tabula* inscribitur: *Sancti Cypriani Episcopi Epistolae Quedam Incipiunt.* Et primum quidem XV. quae habentur in edit. *Job. Felli cit. Amst. 1700. f.* sub numeris 16. 15. 17. 18. 19. 26. 24. 25. 29. 27. 23. 36. 33. 34. 80. atque fol. 22. p. 2. intercipiuntur ab aliis Scriptis. Horum I. insignitur: *Aduersus aleatores premitens de preeminentia pastorum et sollicitudine que inesse debent eis ad ceterorum salutem Liber foeliciter incipit.* Rejicitur merito inter *Cypriano* subposita a *Fello* ad p. 28. Titulus II. est: *Sacratissimus ipsius cypriani liber de duobus montibus. s. Syna terrestri, et syon celesti in quo notandissima plurima interseruntur.* Sed et ipse spurius *ibid.* ad p. 31. reponitur. Succedit III. *Brevis descriptio uite beatissimi et doctissimi Cipriani episcopi et martiris.* Ea videlicet, quam teste *Hieronymo* in *Cat. c. 68.* conscripsit *Pontius* ejus *Diaconus*, quamque editioni suae *Fellus cit.* praefixit. Ast in Codice nostro fol. 49. post ultima verba: *plus tamen doleo, quod remansi;* continenter adtextitur *Pars Passionis S. Cypriani* a *Fello* p. 12. exhibitae ab iis verbis: *Cum ciprianus sanctus martir electus a deo de corrubitana ciuitate &c.* quibus tamen praemittitur: *Ex die qua ciprianus martirium tulit, ordo martirij eius hac lectione monstratur et declaratur.* Id quod magnam ejus vetustatem arguit. Inter complura